IOH. GOD. BVCHNERI,

CONSIL. RVTH. PLAV. ET AB ARCHIV. SECRETIOR. IVXTA AC ACAD. N. C. ADIVNCTI,

EPIST. IV.

DE

FOSSILIBVS

ATQVE

MINERALIBVS,

VARIIQVE GENERIS METALLIS IN VOIGTLANDIA

AD

DOMINVM FRANCISCVM ERNESTVM BRVCKMANNVM. D.

MDCCXXXXIII.

Digitized by Google

Joh. Jac. Weckerus de Secretis
Lib. I.

Inexhauſtus eſt Naturæ theſaurus, & deliteſcunt procul dubio plurima, quæ temporis ſucceſſu ſagacium hominum conatibus eruentur.

Digitized by Google

VIR EXCELLENTISSIME ATQVE DOCTISSIME, FAVTOR ET AMICE ÆSTIMATISSIME.

Ad Mineralia heic loci & Foſſilia multifaria refero corpora, & fere omnis generis lapides, in quibus miculæ ſaltem metallicæ, aut recrementa reperiuntur metallica; quibus tandem etiam adjungo ſuccos terræ ſulphureos & ſalinos. Hos vero, prout in Voigtlandia occurruut, hic quoque recenſere, vel ideo ſupervacaneum haud eſſe duxi, cum ſingula hæc utilitate ſua in vita communi minime careant, hincque bonitatem Terræ illius, quam incolimus, utique demonſtrent atque confirment.

Sic eximii *fluores minerales* reperiuntur prope Blanckenberg coloris livei ac caerulei. *Argentum rude* plumbei coloris vulgo Glaßertz, effoditur non procul ab urbe Plauen. *Glarea*, ſive *ſpatum* ſuppeditatur in Köſtritz album ac ponderoſum, cum venis incanis & maculis viridibus; Vid. Dn. *Brückmanni Epiſt. itin. XLIII. Talcum* vero optimæ notæ adfertur ex pago Michlesdorf, in Dynaſtia Gera, quod Argento inprimis poliendo optime inſervit, ſiquidem iſtud non rodit, ideoque aurifabris perquam erit commendabile. Et in huius confiniis quoque invenitur *Cadmia* tam flava, quam etiam ſubrubea, nec non *Alumen Schiſtus*, ſive terra argillacea, lutoſa & cretacea, de qua meditationes quasdam a Dn. *Langio in Act. Soc. Nat. Cur. T. VI. Append. Marga ſaxatilis* coloris albi ac rubri paſſim occurrit in lapidicinis, ubi & nonnunquam dantur *Stalactites*, ſcilicet quando aqua ramen-

ta lapidis calcarii minima ſoluta in forma pulveris ſecum vehit, inque aliis rurſum deponit locis, quæ dum in unam deinde coiverunt & concreverunt maſſam, lapidem demum, aqua in auras poſtea evaporata, conſtituunt ſtalacticum. *Vitriolum* autem generatur non procul a vico Blanckenberg, atque in Dynaſtia Greiz ex cupri etiam præparatur mineris. Imo de ſolo non minus Weidenſi paria refert *Planerus in Hiſtor. Variſc. p.* 58. his verbis: *Frequens hic æs auri - - - - - - adhæc multum ſulphuris, nitrum, lapidis ſciſſilis nigri, in hoc argentum perinde ac vitriolum ineſt.* Et prope civitatem Greiz ac Reichenbach variis in locis pariter effoditur *Marcaſita.* Habemus etiam *Cobaltum* in Dynaſtia Schleiz, cum venis ſulphuris permixtum, mit würflichten Schwefelkieß, quod cum arena fuſum dat *Smaltum*, die blaue Stärke. Vid Dn. *Brückmanni Magnal. Dei in loc. ſubterran.*

Nec deſunt nobis *ceſpites bituminoſi*, ſeu terra ſulphurea, oleoſa & inflammabilis; imprimis vero agri Planizienſes tam large e ſinu ſuo præbent adhuc *Lithanthaces*, quibus jam quidem utuntur fabri in tundendis ferris, aſt defectum lignorum aliquando & heic locorum metuendum, forſan quoque poterunt reſtituere. Vid. *Annales Phys. Med. Phys. Tentam. XIX. p.* 52. Ulterius teſte *Albino* **in der Meiſn. Berg-Chron.** *p.* 102 non procul a Plauen & Lobenſtein in quibusdam cuniculis *Alumen* continetur non ignobile. Vid Erlaut. Voigtl. it. kurze Beſchreib. der Meiſn. Lande. Ab A. 1603. hoc prope Haueiſen jam tum notum erat, jam vero in confiniis etiam vici Zoppothen atque urbis Reichenbach idem datur, de quo *Planerus in Hiſtor. Variſc. p.* 58. ſequentia habet: *Fodina aluminis, eademque inſignis, haud pridem inſtituta eſt Reichenbaci, dimidio milliari ab oppido diſtans. Collis iſte ſatis amplus, ubi æs aluminis creſcit. Is quantus quantus eſt, nil niſi tale æs eſt.*

Conf.

Conſ. etiam Dn. *Brückmann, l. c. it.* Reiſe Beſchreib. durch Franken ꝛc. *p.* 307. *Argentum* quoque apud nos effodi, *vivum*, præter alios adnotavit experientiſſimus Metallurgiſta, *Joh. Heinr. Rudolph. in Elem. Amalgam p.* 6. qui ſimul maxime de eo dolet, quod non maior iſtius metalli in diſtrictu metalli fero, nec non partibus Voigtlandiæ, ut & Marchionatu Culmbacenſi, conceſſione nempe variorum inventoribus ejus privilegiorum, habeatur cura; magnam enim *terræ cinnabarinæ* ibi dari copiam, aſt ignorare metallifoſſores argentum ex iſta præparare vivum, & lucrum, ratione pretii, exinde capiendum. *Antimonium* vero ſolidum, purum continens cuprum, metallifodina ſuppeditat Greicenſis, nec non Schleizenſis. Vid. *Dn. Brückmann. Epiſt. itiner.* 43. Tandem etiam *Sal* generatur ac præparatur commune, tanquam optimum ciborum condimentum, non longe a vico Altenſalza prope Plauen. Vid. Dn. Lehmans Beſchreibung des Saltzwerks bey Altenſalza. it. Reiſe Beſchreib. durch Franken, Sachſen und Schleſien *p.* 236. ut ita & hac in parte dici merito queat: *Terra abundat bonitate Domini.*

Ad Metalla nunc quod attinet, certum ſane eſt, quidquod certiſſimum, prius adhuc, quam Schneeberga coli cœpit, labores jam tum ſuſceptos fuiſſe metallicos prope urbem Weida, in monte, cui nomen der hohe Forſt inditum eſt, ſiquidem Anno jam jam 1337. litem inde inter Fridericum Marchionem Miſniæ, & Advocatos de Weida, Plauen & Gera natam, Imperator Ludovicus compoſuit Bavarus. *Vid* Beckler Reuß. ſtamtaf. *p.* 45. *it.* Erlaut. Voigtl. *P. II. p.* 144. Imo ante Aureæ Bullæ tempora, in quibus nempe S. R. J. Electoribus Ius metalli fodinarum maxime confirmatum eſt; prædictis Advocatis jam dum *aurum* & *argentum* aliaque metalla fodere, poteſtatem fuiſſe conceſſam litteræ nos docent Imperatoris Friederici II. A. 1232. iisdem gratioſiſſime conceſſæ. Vid. *Goldaſti Conſtitut. Imp. T. I. p.* 299.

)(3 Præ

Præ cæteris autem *argenti* meatibus notari maxime meretur der Silberberg bey klein Reinsdorf in Dynaſtia Greiz, ubi fodina nimirum conſpicitur: Seegen und Gabe GOttes. Mons enim iſte expreſſe a metallo, quod alit & gignit, ad aliorum quoque exemplum, nomen accepit, ſiquidem *Planerus in Hiſtor. Variſc. p.* 59. de iſto ſequentia habet: *Ad Graizam in Sylva Reinsdorfienſi fodina plumbi argento permixti.* Uberior autem ejus traditur deſcriptio im Erlaut. Voigtl. *p.* 218. ubi integra ſimul ab antiquis temporibus habetur conditio. Cæterum opes illius ſubterraneæ magno quidem a Metalli foſſoribus hodie conquiruntur ſtudio, ſed majori adhuc juxta iſtud Pœtæ expectantur deſiderio:

Agricolam ſegetis ſpes, nos alit hæcce metalli.

Plaviæ ulterius ſunt fodinæ *argenti*, *cupri*, *ferri*, nec non Eliſtrobergæ & Salburgi, ubi ante aliquot annnos tales, ſed non diu durabiles in ſpato albo videre licuit. Vid. *Dn. Brückmann. Epiſt. itiner.* 81. *Nullum autem ſolum totius Voigtlandiæ*, teſte *Planero l. c. omni metallorum genere ditius Weidenſi creditur. Hic enim frequens æs auri, argenti, cupri, ferri, ad hæc multum lapidis ſciſſilis nigri; in hoc argentum perinde ac vitriolum ineſt.* Conf. etiam *Dn. Brückmann. Magnal. Dei ſubterrar.*

Sic quoque Gera, Schleiz ac Lobenſtein ob ditiores olim pariter claruerunt *cuprifodinas*, hincque *Albinus* in der Meiſn. Chron. *p.* 102. refert, Berolinenſes ac Marchicos maxime has exædificaſſe mercatores, quæ vero hodie ut plurimum incultæ jacent; &, quae ante bellum tricennale fuerunt circa Weidam, quoque corruerunt. Sunt tamen adhuc Aurobaci fodinæ *cupri* & orichalci, ut & ad Gœſſitium vicum, Reizengesvendam, Plauen, Greiz, Olſniz, Sparneck ac Blanckenbergam cuprifodinæ ſolæ, ex parte haud parum reddentes lucri. Vid. *Dn. Brückmanni Magnal. Dei in loc. ſubterran. it. Epiſt. itiner.* 40. *ac Planerus l. c.*

Stan-

Stannariæ complures pariter Olſnitii conſpiciuntur *fodinæ*. Fuerunt & olim apud Gottesberg & Falckenſtein, quæ vero hodie deſierunt. Dantur quoque adhuc *plumbariæ*, Schleizæ cum aſperſis æris mineris in ſaxo talcoideo cinereo; nec etiam dubitare licet in Dynaſtia Burgk & quidem in vicinia montium, qui Bleyberge nominantur, ejusmodi effodi metallum. Conf. *Dn. Brückmanni Epiſt. itiner.* 40. 82. 84. *it. Planerus l. c. Ferri* autem, quod in ſacris primæ denominationis inter reliqua metalla honorem habet tot in Voigtlandia ubivis reperiuntur mineræ, ut merito fere dixeris, nullam ejus eſſe partem, ubi non conſpiciantur. Imprimis vero Aurobacum aliquas offert colore brunno quaſi cryſtallimontanas, nec non Lobenſteinium, **ſchwarz braunen Glaßkopf mit lauter kurzen häufigen Zacken wie Hechel Zähne.** Vid. *Dn. Brückmanni Magnal. Dei in loc. ſubterran. it. Epiſt. itin* 41 & 84.

Hæc igitur Terræ noſtræ quaſi ſunt fructus præmiaque laborum. Ex antris enim illis ſubterraneis non ſolum prædicta eruuntur metalla arteque & induſtria extrahuntur, ſed & peculiari deinde artificio a fæcibus ſuis ſecernuntur & purgantur, variisque tandem impenduntur uſibus, ut ita merito dixeris:

Dies reiche Feld
Bringt Korn und Geld.

Faciliori itaque negotio Muſeum inde Voigtlandiæ inſtrui poſſet metallicum mineris multi coloris egregie pictis atque a Natura fictis, quod vero ad mirabilem creſcendi modum admodum diverſis, non ſine animi delectamine probe refertum. Quibus tandem votorum meorum nunc ado ſummam:

Ut conchas auge noſtra metalla Deus.

Cæterum quis hac occaſione non mirabitur eximiam globi noſtri terraquei varietatem, qua Deus T. M. tam bonitatem ſuam, quam etiam ſapientiam immenſam Creaturis ſuis rationalibus declarare voluit, ut ſcilicet homines ſinguli, qui potiſſimum & unice fere multitudine rerum, earumque viciſſitudine, delectantur, quocunque oculos vertant, ſtatim ſentirent,

Digitized by Google

rent, quanta Creatoris Optimi ſit potentia & gratia. Etenim, cum omnes & ſingulæ orbis noſtri partes quadam ratione quaſi ſint colligatæ, exinde tuto colligere, unam regionem non poſſe non citra perfectionis ſuæ decrementum differre ſemper ab altera, dum una nimirum ad producendos fructus eſt plana, alia vero pro theſauris aliis gignendis naturalibus, montoſa atque inæqualis, ſiquidem iſtæ ſimul ſumtæ perfectum tandem aliquod conſtituere debebant compoſitum. Hinque prudenter admodum de diverſitate atque inæqualitate iſta regionum ſic judicat *Weigelius in Spec. Terr.* Wäre das Erdreich ganz eben, ſo würden wir zwar in Reiſen uns nicht ſo ſehr bemühen dürfen; allein, wir müſten alle andere Bequem- und Nutzbarkeit, welche wir von den Gebürgen haben, dabey entbehren. Solte es von lauter Marmor feſt ausgeſetzet werden, ja gar von Edelgeſteinen reinlich ausgepflaſtert, und durchgehends ſchön poliret ſeyn, ſo würden wir uns zwar überall darinnen wohl beſpiegeln können; aber, wie wolten wir Brod heraus bringen, und wo wolten wir zu leben hernehmen, da wir kein fettes, ſchmierigtes, und lockeres Erdreich umzuwühlen hätten : : : In Summa, wir erkennen die Güte GOttes vielmehr aus der rauhen und höckrichten Geſtalt des Erdreichs, als daß wir uns auf einem ganz güldenen Platz zu wohnen wünſchen ſolten. Cantemus itaque cum Dn. Brockes, Pœtarum Coryphæo, im Irrdiſchen Vergnügen in GOTT *P. I. p. 278.*

Wer wird jedem Vortheil nennen,
Zählen und beſchreiben können?
Den zur Luſt und Nutz der Welt,
Der Gebürge Raum enthält.
Bald deckt Marmor, bald hüllt Kreide,
Bald nur Kies, bald Kieſelſtein,
Ihr geſchätztes Eingeweide,
Als in feſten Mauren ein.
Alle koſtbare Metallen,
Diamanten Berg-Cryſtallen,
Silber, Gold (der Menſchen Luſt)
Steckt in ihrer finſtern Bruſt.
Sprich verwildetes Gemüthe,
Kommt dies alles ohngefehr,
Oder aus der Macht und Güte
Eines weiſen Weſens her?
Sprich verdienen ſolche Werke
Nicht einmal, daß man ſie merke?
Wers Geſchöpfe nicht betracht
Schändet ſeines Schöpffers Macht.

Scribebam Greizæ ex Musæo 1743.

I. G. B.

Digitized by Google

rent, quanta Creatoris Optimi ſit potentia & gratia. Etenim, cum omnes & ſingulæ orbis noſtri partes quadam ratione quaſi ſint colligatæ, exinde tuto colligere, unam regionem non poſſe non citra perfectionis ſuæ decrementum differre ſemper ab altera, dum una nimirum ad producendos fructus eſt plana, alia vero pro theſauris aliis gignendis naturalibus, montoſa atque inæqualis, ſiquidem iſtæ ſimul ſumtæ perfectum tandem aliquod conſtituere debebant compoſitum. Hinque prudenter admodum de diverſitate atque inæqualitate iſta regionum ſic judicat *Weigelius in Spec. Terr.* Wäre das Erdreich ganz eben, ſo würden wir zwar in Reiſen uns nicht ſo ſehr bemühen dürfen; allein, wir müſten alle andere Bequem- und Nutzbarkeit, welche wir von den Gebürgen haben, dabey entbehren. Solte es von lauter Marmor feſt ausgeſetzet werden, ja gar von Edelgeſteinen reinlich ausgepflaſtert, und durchgehends ſchön poliret ſeyn, ſo würden wir uns zwar überall darinnen wohl beſpiegeln können; aber, wie wolten wir Brod heraus bringen, und wo wolten wir zu leben hernehmen, da wir kein fettes, ſchmierigtes, und lockeres Erdreich umzuwühlen hätten : : : In Summa, wir erkennen die Güte GOttes vielmehr aus der rauhen und höckrichten Geſtalt des Erdreichs, als daß wir uns auf einem ganz güldenen Platz zu wohnen wünſchen ſolten. Cantemus itaque cum Dn. Brockes, Poëtarum Coryphæo, im Irrdiſchen Vergnügen in GOTT *P. I. p. 278.*

Wer wird jedem Vortheil nennen,
Zählen und beſchreiben können?
Den zur Luſt und Nutz der Welt,
Der Gebürge Raum enthält.
Bald deckt Marmor, bald hüllt Kreide,
Bald nur Kies, bald Kieſelſtein,
Ihr geſchätztes Eingeweide,
Als in feſten Mauren ein.
Alle koſtbare Metallen,
Diamanten Berg-Cryſtallen,
Silber, Gold (der Menſchen Luſt)
Steckt in ihrer finſtern Bruſt.
Sprich verwildetes Gemüthe,
Kommt dies alles ohngefehr,
Oder aus der Macht und Güte
Eines weiſen Weſens her?
Sprich verdienen ſolche Werke
Nicht einmal, daß man ſie merke?
Wers Geſchöpfe nicht betracht
Schändet ſeines Schöpffers Macht.

Scribebam Greizæ ex
Muſæo 1743.

I. G. B.

Digitized by Google